...obus.

Zaleski Alberti: Epaenetica gratulatio
D. Jacobo Najmanowic.

1625

EPÆNETICA
GRATULATIO,

Admod: Rndo ac Magnifico Domino,

D. IACOBO NAYMANOWIC.

Philosophiæ & I. V. Doct.

Archidiacono Pileceñ &c. &c. Almæ Academiæ Cracou. Generali RECTORI.

Canonico Eccl: Cath: Crac.

Die 3. Non. Aug. Anni M. DC. XXV. felicibus auspicijs inaugurato.

Obseruantiæ officiô

à

M. ALBERTO ZALESKI,

conscripta & dicata.

CRACOVIÆ,
Typis Matthiæ Andreouiensis.



AMphitryoniadæ conflatas ære columnas,
Et positas tandem littore in Hesperio:
Obsita barbarie emiretur prisca vetustas;
Decisas quercus vel super astra vehat.
Nil hæ præ rutilis quæ fert Academia signis:
Nil scisis ramis ardua quercus habet.
His, & subnixus cedit caduceus alis:
Consistuntque imo Gnosia tela loco.
Regia sceptra autem decus immortale merentur,
Et sublime poli culmen adire valent.
Symbola dum præstant magnæ virtutis & artis
Gloria queis verè maxima semper inest.
Quantus honos Regno sit ab hoc synthemate, disce
Sceptrorumque ingens, Sarmata, nosce decus.
Conijce quosue animos, mentem quam, pectora demum
Isthoc sic amplum, qualia, poscat opus.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

PARCITE, qui, vastum Vates percurritis æquor,
Queis facilè imprægnata, volāt Aquilone secundo
Carbasa, felicemq; Tethys fert abiete Tiphyn:
Si fors defuerit nobis Adriatica pinus,
Oceano laudum quæ sic innare profundo,
Inque decus verum plenis excurrere velis
Possit: vt illustris factorum gloria digna est
Amplorum, celebrisque meretur fama IACOBI
NAIMANOVICII: primis sapientia ab vlnis,
Virtus & inter Palladias quem nutriit artes:
Atque inter decora euexit præcelsa virorum.
Haud ea corde mihi mens spesque accenditur ista;
Vt credam, passu facili me posse volentem
Ingentem laudum solidarum euoluere aceruum;
Ingenii vires solidas qui pondere vincit.
Hoc satius duco; si, non grauiore cothurno
Ast animi cultu grauidi conamine quicquam
Attulero; licet exigui sit muneris instar:
Vt saltem promptam designet tessera mentem
Mmemosynonque ferat studij. Fuit iste virorum
Amplorum Genius, quos, vel natura benigna;
Vel placidus meliore oculo suspexit Apollo:
Cælica Palladio aut sapientia texit honore;
Vt magis amplecti mallent munuscula dantis,
Exigui quamuis pretii ac sine pondere molis:
Ast animi integritate & pura condita mente.
Sic ebur antiqui dentis fuit esto nitescens
Collibus Herculeis aduectum, sæpè recessit

A pretio, veniensque ex Indo littore concha
Amisit pretium, paruo autem gratia maior
Accessit dono: quia mens præponderat illud
Pura satis: quæ fuso etiam fit purior auro.
Numina magna Deûm, magnis ea corda dederunt
Ingeniis, studiumque simul sua facta sequendi.
Sæpè quibus placuit modico sibi thure litari;
Siue molæ exilis profuso ex corde pugillo:
Quam si quis pingues flammanti incenderet aras
Teda, hecatombis opprimeretque altaria opimis.
Munera Thuscus eques tenuem est complexus auenam:
Alma Ceresque libens dilexit spicea serta.
Paruula fortè cui possint ea dona videri:
Sed pietas & amor feruens hæc maxima fecit.
Imò etiam memini ipse libens nonnulla virorum
Nomina, queis inter titubantes pondere mensas
Fœcundas, varioque dapum libamine plenas,
Arteque constructas scitâ; Cereale saporis
Plus visum est habuisse epulum, paterasque repletas
Donis Lenæi grandæui, auroque rigentes,
Nuper conspexi vrceolo cessisse figulno.
Inde meam subiit talis sententia mentem:
Es qui gemma nitens doctorum IACOBE virorum
Et decus eximium, istiusque ingens honor vrbis:
Qui nunquam simplex etiam contemnere suesti
Ingenium: suscepturum Te fronte serena
Quicquid dat candens pietas, vultuque benigno
Inter Idumææ felicia munera Palmæ,
Pieriasque inter Lauros, haud splendida dona
Accepturum hederæ, siue ima parte corymbi
Spontè assurgentis, præcelso Heliconis in horto.

ΕΠΑΙΝΟΣ.

LAtonæ stirps grata nimis, cui cuncta patescunt
Pectora terrigenûm, cui suetum promere voce
Fatidicâ, quibus initijs, quo, culmina, possit
Ardua quis celsæ virtutis tangere cursu.
Lumine peruoluens terras vrbesquê patentes,
Sex credo lustris hunc præcurrentibus annum
Dispiciens propiùs, fortunà adspexerat illam,
Vitrea Vandaleis quam proluit Istula lymphis,
Istula Lechiados Rex inter sceptrifer amnes.
Singula contuitusque fuit dum mente sagaci:
En teneris olim puerum conspexerat annis,
Vix tum lustra duo primæuo in flore gerentem.
In cuius defixa tenens sua lumina vultu;
Hæc secum. Spes magna subit mihi pectora complens,
Indolis, ingenij, virtutis, frontis amæna
Index est species, multùm olim hic proderit orbi
Sarmatiæ, poterit clarum volitare per orbem
Nominis Illustris fama. Nec multa moratus
Aerias subitò veniens Heliconis ad oras

 Cuncta.

Cunctáq; præteriens tunc, percunctantibus ex se,
Musis illius iuga celsa colentibus oræ;
Rumoremque bonum cupida expectantibus aure,
Vocibus optatis sic ora resoluit amica.
Musæ noster amor, laus nostra, & magna voluptas
Est populosa viris Arctôo clara sub astro
Vrbs satis ampla situ, celso contamina monti,
Arce super multùm affabrè decorata, Vaueñ:
Templa nitore suo stellatum imitantia cœlum
Multa ferens, necnon adytis insignia gestans
Plurima, Diuorumq; ornata frequente sepulchro:
Quæ mage Craciadæ eximÿ veneramur, & vltro
Diuitibus cumulant opulenti altaria donis.
Planta vetus Regum simul hac viget vrbe, Mineruæ
Arte valens solida, ac antiquo more coruscans
Emicat ante alias flore herbescente iuuentæ.
Hac iuuenem vidi, quem frons clarabat aperta,
Ore decor nituit laudari dignus in ipso,
Palladiusq; pudor regnauit in ore sereno:
Judice me; poterit rectè fastigia rerum
Carpere summa, virum maturu vbi fecerit ætas.
Dignus cui faueas ô turba nouena sororum
Grata cohors nobis: nullumq; grauata laborem,
Sic formes; studio ne fortè peperceris vlli,
Quo iuuenem reddas ad maxima cuncta gerenda

Aptum,

Aptum, nitentemq; ad quælibet ardua promptè.
Talia Castalides sponte audiuêre libentes
Dicta Ducis proprij, quem Delphica Regia prompto
Obsequio demissa genu veneratur amatque.
Præcellensque alias miro candoris honore:
Poplite submisso sese inclinauit, & omne,
Calliope studiumq; suum, studiumq; sororum
Exposuit promptum. Est, inquit, mens omnibus vna
Ornandi iuuenis cupiens. Ac non mora cunctæ
Se dicto citius grato accinxere labori
Quo iuuenem dextrè forment. Aestatte virenti
Qualis apum chorus haud segnis benè culta volatu
Jugera peruolitans stridulo, lustransq; vireta,
Floribus auricomis referentia sydera cæli;
Sollicitè inquirit dulcorem: vbi cuncta regustat
Munera, fertilibus queîs Flora superbit in hortis.
Si thyma nectareo videat gemmnntia rore;
Mox pernicibus huc plaudens adnauigat alis,
Ac pleno ore legit succum, quo oneratus abundè
Grex is apum sedulus redeundo cerea statim
Tecta implet mellis liquidi sexanguln donis.
Sic Heliconiades animo bona vota fouentes,
Ætas adhuc primæua tibi vernahat, in omnem
Sese effuderunt curam: studioq; iuuandi
Præcidendo moras vigili incubuere labori:

Si labor

Si labor in dignis versatur mentibus, ipso
Instinctu naturæ ad digna gerenda creatis,
Vt meliore tuam complerent dogmate mentem;
Alite felici qui posses optima quæquæ
Sectari, solidisq; insistere suescere plantis
Virtuti, quæ sola viget, palmisq; fouere
Ambabus rectum, vitijsque resistere tetris.
Commodius tandem quo possis noscere cuncta
Queis splendor virtutis inest, queis tristis adhæsit
Rubigo vitij: mox facta Lutetia menti
Obuia Gallorum Vrbs, veteri sic nomine dicta,
Onigena arte valens; statio gratissima magnis
Ingeniis: hinc se celeberrima fama per orbem
Diffundens, hac fert solium fixisse Mineruam.
Ingentes super exedras pro more recepto,
Docta caterua virûm sapientia dogmata fundit:
Seu cupias varias rerum pernoscere causas:
Seu nodos æqui malis perdiscere Iuris:
Aut libet ætherias in puluere scribere formas
Euclidis; Stagiræ aut sinuosos mille recessus
Abstrusosqúe anfractus ames: ibi pectus anhellum
Pascere, & incensam valeas extinguere flammam.
Cura subit Musis illuc te ducere: Tuqúe
Illarum ductum Genio inclinante sequutus,
Mox iter accelerans faustum patriasque relinquens

Sedes, hæc percepta libens fida aure bibebas,
Pieridum quamuis monitis vix indigus esses.
Parrhisios veniens consortia despice cautus
Prauorum à rectis, prauos magis acre chelidro
Deuita; improbitatis enim sunt plurima damna.
Insanum Cypriæ castrum, & tentoria Iachi.
Stagnantis grauibus pateris multaqúe dyota
Neglige, fæci hominum madidas traducere noctes
Hesternumqúe merum redolere hæc maxima sit laus:
Diuina illius nunquam sapientia pectus
Imbribus irrorat iustis, cui talia cordi.
Neu sine desidia frangi tua pectora inani:
Aut ea secteris quæ declinanda monebit
Corporis arce grauem versans ratio indaga clauum.
Sed quid opus fuit his. Sponte ipsa arbuscula felix,
Ceu sese attollit felici consita in aruo,
Sponte comasqúe ferens lætas, frondesq́; virentes
Agricolæ fructus cupidi spem præuenit omnem.
Sic poterant animum Musæ & consurgere mentem
Perspexisse tuam, atque suas præuertier almas
Spes; vt qui factis semper superare soleres
Ætatem tenerum maioribus. Ergo vbi tandem
Interea studiis toto dominantis in orbe
Mænia claræ Lutetiæ adis, das pectore toto
Te artibus eximiis, quæ nomen nobile donant.

 Perui.

Peruigil assiduè viuos mutosq; Magistros
Aggrederis, pleno aurea dogmata fonte regustas,
Attonitusq; stupes dum se sublimius illic
Humano ingenio clari exeruere Magistri
Ante aliosq; omnes fidissimus ille Menantol.
Perfususq; tuos suaui dulcedine sensus;
Te reperisse putas pretiosæ pondera Gazæ
Quando viros reperis, quorum facundia ab ore
Profluxit; veluti pleno fluit alueus amni.
Cæpisti serio tum noscere vilius esse
Ingenio rutilans aurum: sapientia cunctos
Vincere visa fuit Cræsos: simul illa cupedo
Circuit vna tibi mentem, haud aliquando remotis
A laude in rebus versari; & fallere tempus
Non serijs: verum quæquæ dignissima semper
Exercere, operamq; actis impendere pulchris.
Culti sermonis Latij sudore parabas
Diuitias & opes multo; suspendere doctos
Vt posses animos facundæ flumine linguæ,
Et maiestate eximia mulcere Senatum
Attonitum, quocunq; velis vel flectere vulgum.
Prodeat Elisiis si fortè vocatus ab vmbris
Arpinas laus eloquij præmagna diserti:
Is linguæ eximium merito miretur honorem.
Hinc abis huc vbi Vesta Remo cum fratre Quirinus

Cana

Cana fidesq; dabant leges & iura ferebant,
Italiam passim nostri dixere minores
Vrbem Romulidum, viget in qua summa potestas,
Summus & artis apex, qui summos gignit honores.
Illic perlustras solerti indagine mentis
Sanctio quid Iuris, Legum moderamina quidue
Præcipiant, discis vitiosas pellere sentes,
Obuia consilioq; rescindere crimina iusto,
Turpibus & factis veluti Marpesia cautes
Contrastare, motusq; animi cohibere tumentes,
Quodue Astræa iubet proprium ius reddere cunctis,
Quid demum vitam sit honestam ducere semper
Attente auscultas ac informaris abunde:
Tota tuum donec pectus perfectio legum
Occupat, & firma retines mente omnia iura;
Donarisq; simul celso Doctoris honore.
Conspexit toties Vrbs, atq; Academia vidit
Sydere felici ex illa te parte reductum
Diuitis ingenij clara argumenta dedisse,
Suggestusq; ornasse satisq; superq; decorem:
Siue recensebas sinuosa volumina legum,
Barbariem fido ingenij mucrone recidens:
Docta per eximiā aut promebas pulpita voce,
Obuia quæ sors mille tibi experimenta ferebat:
Semper doctiloquo sapientia fluxit ab ore,

Sicut

Sicut Amaltheo promanat copia cornu.
Tum vero optati dum tandem ſyderis inſtar
Splendeſcis. Summos Academia pandit honores
Quos habet: ac ſummę moderandas tradit habenas
Rerum, conſtanti Procerum applaudente Senatu
Propenſo tibi, lætitiiſq; fremente iuuenta.
Ipſa ſimul Rectore nouo recreata Palæſtra
Altrix diuinæ doctrinæ & clara Sophorum
Formatrix, ſentire intus noua gaudia viſa eſt:
Dum tibi, Dædaleum picturis induta nitorem
Proſpera cuncta libens votis ſolennibus vltrò
Apprecata, auidis Rectorem exceperat vlnis.
Tu verò ſolidæ laudis cumulatus honore
Alcidæ ſimilis ſtabas, dum fortis in armis
Conſtitit ante Iouem, denſa ſtipante caterua
Se Superum. quamuisque illum Diuique Deæquè
Mirabundæ humeris tollant Diuumquè ſalutent:
Ipſe tamen licet eſt virtutis conſcius almæ,
Lumine proſpectans partis Titanas in ipſis,
Relliquias animæ exhallantes pectore duro,
Agnoſcenſque decus manuum immortale ſuarum
Clauam in lethiferis vulneribus: adſtitit vno
Defixus greſſu, ac velut emiratus honores
Iam magnos; ſolum pretium virtutis adorat,
Ipſam virtutem, ſit quæ ſibi maxima merces.

Tangi-

Tangitur haudque adeo pulsantibus æthera votis:
Præmia necque adeo vitæ acquisita labore
Pendit: vti virtus præcor lia stringit & implet.
Atque instar speculi reputans hanc ille tuetur,
Hac semper tandem sese minatur in vna.
Attamen oblati non auersatur honoris
Præmia, nec meritæ subuertit pectora laudi,
Cui semper laudanda sequi fuit vnica cura.
Tum primum captis se maior honoribus offert
Campus virtuti: tùm primum magna labori
Materies maiorque datur tunc area curis.
Iönio veluti cum trux violentia fortè
Ventorum incubuit, totisque à sedibus imis
Euertit vitreas tempus miserabile lymphas:
Radit iter liquidum si quam benè firma carina:
Perpluit interea nauclerus corpora guttis
Grandibus, it sudor salsis per tempora riuis.
Aeoliis sic dum Musarum cymba procellis
Miscetur puto honos & onus miscentur in vnum.
At tibi consilium Diuinum Numen adauget,
Suggerit atque artus magnas in corpore vires,
Nauiter vt valeas firmæ succurrere cymbæ.
Vis sine consilio subito ruit: vnica tandem
Ars quoduis seruat regnum populisque benignam
Progenerat pacem, medius ars fulminat armis.
Arte ratis præceps pelago decurrit aperto

Munita in ventos, tumidos terit æquore fluctus.
Præuolat arte Nothos celeres impulsa sagitta;
Concita perfringitq; stridenti nubila penna.
Effusis ruit arte valens auriga quadrigis.
Ars quia magna tua te digna in mente refulget,
Et pulchrè florens super omnia viuida virtus
Conciliat cunctis, magnum citò nomen in orbem
Fundet, quod crescet maius crescentibus annis.
Quidni difundat; quidni tua nomina crescant
Quem recolunt omnes & amant nec temnitur vllus
Quem probitatis amor tenet aut prudentia solers.
Fama loquax recti qua nulla loquatior est res,
Ipsa perenne feret decus, immortaleq; reddet
Omne tuum factum. En iuuenes (non multa morabor)
O quam prudenti nimium ratione côerces.
Semina nam si aliqua exurgunt damnanda iuuentæ
Consilio insano fors succrescentia, mox hæc
Sic pellis: ceu nimbosas per cærula nubes
Thrax Boreas, subitò haud ignarus sistere prauæ
Sementis genium, miro moderamine magni
Iudicij. Verum isthæc eccur opstrepo? nunquid
Eximias rauco complecti pectine laudes
Censeo non comptè tenui modulante Thalia?
Eloquium quisquis tandem virtutibus amplis
Dare velit digneq; tuas attolere laudes

Illi se præstat similem qui splendida fusi
Frusta auri, exili satagit vestire colore,
Qui longè pretio minor est & vilior auro.
Clara nitore suo sic te ipsum gloria magni
Nominis usq; tui verè magis aurea adornat;
Vt fiat nostræ tenuis non indiga laudis:
Singula quisquis enim se digne attexere speret,
Se cunctas idem cumulo comprendere aristas
Posse putet. Sed iam cunctis noua gaudia pectus
Pertentant. Rumor Craci dilapsus in urbem
Subuectus celeri penna cui tempora florent
Optatos dans ære sonos, lætissima vulgat
Nuncia, dulcisonoq; per agmina murmure mussat
Quale fit in pelagi si quis procul audiat undis.
Sicq; suas voces hilaris tollitq; premitq;
Sicut fortè solent extremà tonitrua terris.
Gloria magna virûm quos fert Academia Iure
Insignes IACOBVS habet iam præmia digna
Præcelsæ NAYMANOWIC virtutis, in ipsa
Cracipoli nimium celebri decoratus honore:
Illustres inter Proceres in principe templo,
Solibus intensis Leo feruescebat, & almus
Ad mille æstates sexcentas quinq; viginti
Iupiter addiderat; totiesq; effronduit arbos,
Ecce Cathedrali felix consedit: & inter

Præla

Prælatos, dum quisq; suo fulsere decore;
Sic factis clarus magnis splendescere cæpit:
Ceu Phaetonteo tinctus nitet Hesperus astro.
Nunc age vocalis robustum buccina carmen:
Dum sacer ambit honos adeò iam nobile pectus,
Et celsi Templi sublimibus aduocat aris
Læta feras; lætam cunctas Lechi super oras
Ferre iube famam, tam clarum ad sydera nomen.
Intonuit rumor memorans per tecta domosque,
Arua per, & fontes, & apertos gramine colles:
Discurrit syluis latis resonabilis Echo,
Et resonare ab ea condiscit flexilis arbos:
Acclamansque tuum stupefacta salutat honorem.
Vndique lætitiis dum tandem cuncta resultant
Lætisonas reddunt simul aurea sydera voces,
Sydera, queîs veniunt homini felicia cuncta
Omnia læta tibi promittunt omine læto.
Syderibus læta applaudens Academia poscit:
Vt diuturna habeas longæuæ tempora vitæ
Prosperitate animi florescens omne per æuum.
Hæc sua vota vt eo veniant felicius, vltrò
Quisq; boni cupidus pansis ad sydera palmis
Pectore feruenti Numen cœleste precatur.